DE IMPERATORIS M. COCCEI NERVAE VITA.

Quamquam Nervae imperium maxime salutare fuit rei publicae Romanae atque nonnulla eius aetatis praeclara litterarum monumenta exstant, tamen praeter Cassium Dionem, vel potius Xiphilinum, cuius enarrationi pauca tantum, quae passim in Philostrato, Eutropio, Victore, aliis inveniuntur, addere licet, nemo vitam eius descripsit[1]). Optimi enim et praestantissimi quique rerum scriptores aut prisca illa tempora, quibus res publica Romana fortitudine constantiaque aucta eo crevit, ut omnes fere orbis terrarum partes subigeret, aut ea, quibus victrix illa natio vetere gloria orbata per luxuriam et avaritiam corrumpi coepit, depingere maluerunt, quam hoc temporis spatium, quod inter florem civitatis et exitium interpositum haud immerito etiam nunc a multis tamquam felicissimum Romanorum aevum adeoque generis humani[2]) praedicari solet. Ac magnopere nobis conquerendum esse censeo, quod Tacitus eam materiam, quam seposuerat senectuti, non perfecerit[3]). Tacitus enim, qui praesens omnia Nervae facinora vidit, si ei per aetatem licuisset regni eius historiam conscribere, egregius certe testis esset sapientiae moderationisque imperatoris ac plura etiam eius edicta, qui iuris scientiam a maioribus suis quasi hereditate acceperat, superessent, quorum nunc memoria intercidit. Quae cum ita sint, certissimam spem habeo, fore ut, si qui forte hanc commentationem perlecturi sint, quotidiani mei officii haud immemores benevolentius de ea quam severius iudicare velint, si non prorsus, quod volui, assecutus ero, ut et res obscuras dubiasque illustrarem et consociatis in unum iis, quae passim dispersa erant, imaginem Nervae proponerem. Vitam autem huius imperatoris expositurо paucis verbis notanda videtur Domitiani saeva dominatio, quo melius intelligatur, quanto prae-

1) Magnopere doleo, quod Ahasveri dissertationis prioris de Nervae imperio Brem. 1749 copia mihi data non est. 2) Ita late populus Romanus per orbem terrarum arma circumtulit, ut, qui res eius legunt, non unius populi, sed generis humani fata discant. Flor. prooem.
3) Quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui: rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias, dicere licet. Tacit. hist. I. 1.

stantius sit breve imperium Nervae, in quo quasi lumen probitatis ac virtutis conspicere videmur. Iam vero naturam Domitiani et mores, quos rerum scriptores ad unum omnes detestantur, optime perspicies ex Plinii[1]) loco gravissimo, quo breviter aeque ac vere imaginem imperatoris ita depingit: „Domum nuper illa immanissima bellua plurimo terrore muniverat; cum velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages cladesque proferret. Obversabantur horror et minae et par metus admissis et exclusis". Nimirum Domitianus, cum moderatis imperii principiis usus non multo post Tiberium, Caligulam, Neronem potius, quam Titum fratrem imitandum sibi proposuisset, ita se omni scelere maculavit, ut optimo cuique inimicissimus et senatores bene meritos maximo odio persequeretur et philosophos adeo perterreret, ut alii, qui sibi in praeceptis sapientiae permanendum esse arbitrarentur, in extremam Galliam vel in Libyae desertas terras confugerent, alii ab ipsa virtute deficientes doctrinam vitiis consentaneam amplecterentur[2]). Quin etiam, cum fere musicorum vocibus et modis vel ipsi hominum animi delectentur, vel eorum cupiditates consopitae aliquamdiu obdormiscant, sceleratissimus iste tyrannus non modo ab eiusmodi artium studio abhorrebat, sed etiam, ut qui omnem humanitatem exuisse videretur, ex eiulatu eorum quos trucidaret atque gemitu maximam sibi visus est percipere voluptatem[3]). Quid quod ipse palam praedicabat, noctu imperatori finem laborum, caedium initium esse faciendum? Neque igitur immerito Ausonius Caesar. XII, hoc de eo epigramma composuit:

Hactenus edideras dominos, gens Flavia, iustos:
Cur duo quae dederant, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos, quia dona bonorum
Sunt brevia, aeternum, quae nocuere, dolent.

Sed ut post tempestatem cum fulguribus tonitribusque coortam tranquilla coeli serenitas redire totaque natura paullulum respirare et reviviscere solet, ita post acerbissimas sceleratissimi imperatoris vexationes seditionesque domesticas res publica Romana paene intermortua tandem sub Nerva et eius successoribus vitam et spiritum recepit. Dum autem populus e caede Domitiani neque dolorem cepit neque gaudium, senatores, qui vivum imperatorem servorum instar adulati erant, quamvis eius sceleribus non urbs tantum afflicta, verum etiam prope universus orbis terrarum

1) Paneg. c. 48. 2) Neque illis solum temporibus nimis rudibus, necdum Graeca disciplina expolitis philosophi ex urbe Roma pulsi sunt, verum etiam Domitiano imperante senatusconsulto eiecti atque urbe et Italia interdicti sunt. Gell. Noct. Att. XV, 11. 3) Philostrat. vit. Apoll. VII, 4.

oppressus iaceret, iidem mortuum acerbissimis conviciis lacerabant. Neque satis habuerunt, Domitiani imagines in terram proiecisse inque eas saevisse securibus, sed honores ei decretos senatusconsulto abrogavere, titulos ubique eradendos[1]) omnemque imperatoris memoriam oblivione penitus extinguendam esse censuere[2]).

CAPUT I.

In iis scriptoribus, qui de imperatore Nerva memoriae prodiderunt, pauca reperiuntur, e quibus originem eius familiamque cognoscamus. Ut enim Dio his de rebus nihil omnino profert, ita Eutropius VIII, 1. pariter atque Victor Epit. satis habent commemorasse, alter eum nobilitatis mediae fuisse, alter Narniae natum esse, Umbriae oppido. Narnia autem, sive Umbrorum sive Sabinorum oppidum, Nequinum quondam auctoribus Plinio et Livio[3]) dictum est. Cuius oppidi amoenum situm Martialis VII, 93. sic descripsit:

Narnia, sulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda iugo,
Quid tam saepe meum nobis abducere Quintum
Te iuvat et lenta detinuisse mora?

Plenum autem nomen imperatoris Marcus Cocceius Nerva invenitur apud Gruterum p. CCC 1. et Orellium n. 1634, quod idem in multis inscriptionibus apparet. Ac primus quidem e gente Cocceia consulatum gessit Cocceius Nerva cum Gellio Poplicola a. DCCXVIII u. c.[4]) idem Caesarem et Antonium dissidentes in gratiam reduxit. Huic Appianus[5]) praenomen Lucii tribuit, obloquente Glandorpio Onomast p. 248, qui eum Marcum praenominatum fuisse recte monet. Quem Cocceium Nervam Horatius quoque ad componenda amicorum dissidia missum fuisse indicat[6]). Is igitur M. Cocceius Nerva proavus imperatoris Nervae fuit, teste scholiasta

1) Hodie etiam supersunt inscriptiones cum eraso Domitiani nomine apud Gruterum p. XII. 2, LXVIII. 1, CLXXX. 7. 2) Suet. Domit. c. XXIII. 3) Plin. N. H. III. 19; Liv. X. 9. 10. 4) Morell. thesaur. fam. Rom. T. II. et Vaillant. Num. ant. I. p. 288. 5) Appian. Bell. civ. V, 60—64. 6) Sat. I. 5. 27.

Cruquiano ad Horatii l. l. Huius filius cognominis M. Nerva, vir divini humanique iuris sciens, qui ob legum peritiam a Tacito laudatur et curator aquarum erat ab a. XXIV p. Ch. usque ad a. XXXIII, voluntaria morte obiit, haud commotus sermone ac precibus imperatoris Tiberii, eum frustra a moriendi consilio avertere cupientis[1]). Qui quidem Nerva M. f. iurisconsultus idemque consul suffectus, incertum quo anno, imperatoris Nervae avus fuit[2]). Cuius filium, qui imperatoris Nervae pater erat, et ipsum iuris peritum fuisse, a Pomponio traditum est[3]). Is utrum consulatum gesserit necne, pro certo affirmare non ausim[4]).

Iam si de anno quo natus sit imperator Nerva quaerimus, deductis annis LXV mensibus X diebus X, quot Dio Nervam vixisse narrat, ab anno, quo mortuus est, DCCCLI die XXVII mensis Ianuarii, eum in lucem editum esse consentaneum est a. DCCLXXXV sive XXXII p. Ch. die XVI m. Martii; matrem habuit Sergiam Plautillam Laenatis filiam[5]). Ab imperatore Nerone a. DCCCXVIII bello virtute probata triumphale decus et effigiem apud palatium consecutus in annum insequentem praetor designatus est[6]). Duos autem consulatus gessit, in utroque collega principis; priorem a. DCCCXXIV cum Vespasiano[7]), alterum a. DCCCXLIII cum Domitiano, quo occiso imperator declaratus est die XVIII mens. Sept. a. DCCCXLIX. Dio LXVII. c. 15[8]).

CAPUT II.

Caedem Imperatoris Domitiani factam esse a. DCCCXLIX Caio Valente et Caio Antistio consulibus Dio testatur l. LXVII c. 14 f. *ἐπί τε Γαΐου Οὐάλεντος, ὃς ἐνενηκοστῷ ἔτει ὑπατεύσας ἐτελεύτησε, καὶ ἐπὶ Γαΐου Ἀντιστίου ὑπάτων ἀπάλετο.* Eutropius autem, Dione saeculo et quod superest recentior, duos consules, ut tum erat moris, solo cognomine nuncupans haec enarrat: „Anno octingentesimo et quinquagesimo ab urbe condita, Vetere et Valente consulibus res publica ad prosperri-

1) Tacit. An. IV. 58 et VI 26; ad priorem locum conf. Nipperdeius, qui laudat Frontinum de aquaed. 100: Ser. Cornelio Cethego L. Visellio Varrone consulibus M. Cocceius Nerva, divi Nervae avus, scientia etiam iuris illustris; et Pomponius Dig. I 2, 2, § 47: »Ateio Capitoni Massurius Sabinus successit, Labeoni Nerva.« 2) Gruterus p. CLXXXVII. 5: C. Vibius C. F. Rufinus, M. Cocceius M. f. Nerva cos. ex s. c. 3) Pompon. l. c. Nervae successit Proculus. Fuit eodem tempore et Nerva filius. 4) Clinton fast. Rom. I p. 22. 5) Orelli n. 777. 6) Tac. An. XV. 72. 7) Orelli n. 1634. 8) Fasti Idat. et Chron. Alex.

mum statum rediit, bonis principibus ingenti felicitate commissa. Domitiano enim exitiabili tyranno Nerva successit.“ Uti igitur a Dione alterius consulis nomen, cognomen alterius, ab Eutropio unum consulum cognomen memoratur, ita plenum utriusque consulis nomen invenitur in inscriptione sepulcrali apud Muratorium p. CCCXV, 1.

D . M . P . FANNIVS . AVILIVS . PROCVLVS . FECIT .
TITIAE . FIRMAE . ET . P . FANNIO . PROCVLO
PARENTIBVS . BENEMERENTIBVS . ET . P . FANNIO . PIMIGENIO . LIBERTO .
ET . FANNIAE . RANAVSIDI . LIBERTIS . LIBERTABVSQVE . POSTERISQVE . EORVM .
C . ANTISTIO . VETERE . MANLIO . VALENTE . COS .

Idem Cai praenomen alteri quoque consuli Manlio Valenti fuisse, e testimonio Dionis manifesto apparet, qui a. DCCCXLIX Valentem et Antistium consules fuisse iure arbitratur. Eutropius vero errat non minus quam Orosius hist. VII, 1, cum ille annum DCCCL, hic annum DCCCXLVI afferat. Nam consulatus Valentis et Veteris incidit in annum DCCCXLIX vel in annum DCCCXLVIII, prout aeram Varronianam, ut solemus, vel Catonianam sequimur. Id autem ita se habere et aeram Catonianam iam tum in usu fuisse, perspicuum est ex inscriptione in Anonymi Einsiedlensis schedis servata restitutaque a Mommseno (Ber. d. sächs. Ges. d. Wissensch. 1850 p. 300) in hunc modum:

LIBERTATI . AB . IMP . NERVA . CA es AR e . AVG . ANNO . AB . VRBE .
CONDITA . DCCCXXXXIIX XIIII k OCt . RESTITVtae
S . P . Q . R . [1])

Quam ob causam omnino non potest dubitari, quin Imperator Nerva a. DCCCXLIX u. c. = XCVI p. C. die XVIII m. Sept. eo ipso die, quo Domitianus occisus est, imperium susceperit, postquam Domitiani insidias astrologi cuiusdam dolo evitavit[2]). Primis Nervae imperii diebus ubi mortuo C. Valente consule M. Iul. Fronto fuit consul suffectus, ex delatorum accusationibus seditiones exoriebantur[3]). Quae quidem Frontoni consuli occasionem dedisse dicuntur, ut hanc ederet vocem „Malum quidem est, imperatorem habere, sub quo nemini liceat quidquam facere, sed multo peius est, cum omnia liceant omnibus[4])“. Equidem hanc Frontonis sententiam non magis quam Baylii probo, qui istam vituperationem et iustam et Nervae imperium peius quam Domitiani fuisse censet[5]). Sed priusquam ii, qui contra Domitiani vitam coniuraverant, in quorum numero una cum nobilissimis reipublicae principibus uxor etiam Imperatoris Domitiani erat, necem ei inferrent, multum deliberabant, quem novum imperatorem tanquam firmum quoddam civium praesidium e senatorum

1) Gruter. CCXLVI, 1; Henzen ad Orelli T. III. n. 5436. 2) Dio LXVII, 15. 3) Plin. epist. IX, 13. 4) Dio. LXVIII, c. 1. 5) Bayle dict. hist. T. II. p. 514.

numero eligerent [1]). Nerva autem senator spectatissimus, quem tum Romae fuisse probabile est [2]), et in quem omnium bonorum oculi erant conversi, consiliis coniuratorum velificabatur, utpote qui Domitiani interfectorem optime de patriae salute esse meriturum existimaret. Atque eius caede perpetrata cum cohortes praetoriae, quas coniurati in suas partes allexisse videntur, Nervam consalutavissent imperatorem remque deinde ad senatum tanquam eius auctoritate comprobandam retulissent, senatores ad unum omnes tali rerum eventu laetati sunt. Neque vero quisquam, quamvis a Nerva plurima in rem publicam collata sint beneficia, infitiari poterit, rationem, qua imperator factus sit, illegitimam ideoque perniciosam fuisse. Ex legibus enim Romanis senatus solus, non milites gravissimum creandi Imperatoris munus suscipere debebant. Maximo vero rei publicae damno esse oportebat, quod iam non e senatorum auctoritate, sed e rudium saepe militum ludibrio de imperio diiudicabatur. Sed novus imperator praetorianis, quod sibi ius arrogabant, vix extorquere neque eorum exercitum dimittere potuit, quoniam verendum erat, ne caeteri Italiae provinciarumque exercitus partes praetorianorum amplecterentur et rem publicam perturbatam armorum terrore regerent. Tale periculum prope adfuisse Suetonius diserte testatur [3]): „Maxime fremebat superioris Germaniae exercitus — statimque legationem ad praetorianos cum mandatis destinaverunt, displicere imperatorem in Hispania factum; eligerent ipsi, quem cuncti exercitus comprobarent". Quae quidem monenda videntur, ne Nervae aliisque bonis imperatoribus, qui ei successerunt, vitio vertas, quod pessimum illud malum e militum vulgo oriundum non sanaverint.

Complures autem, quos imperium suscipere noluisse Dio narrat, quin senatores fuerint, vix dubitari potest. Primum enim militi tunc opinio erat, imperatorem ex humiliore quam senatorum ordine, eligendum non esse; deinde e Nervae ingenio facile colligitur, eum de civium suorum salute maxime sollicitum caeterorum senatorum verecundia magis, quam ambitione commotum imperium detrectare noluisse. Denique neque Tacitus neque Plinius, quippe qui omnes aut imperatorum aut militum iniurias senatui inlatas aegre ferrent, tantam Nervae laudem impertivissent, si invitis senatoribus sola militum opera imperator esset renuntiatus. Senatores igitur, quod non minus ipsorum auctoritate, quam praetorianorum et coniuratorum opera Nerva electus esse videbatur, summopere laetabantur, praesertim cum novus imperator in senatu iuraret, nullum e senatoribus suo iussu interfectum iri. Quantum gaudium quantamque spem tum conceperint Romani, numis compluribus in hanc rem cusis docemur [4]). Neque vero mirandum est, in tristissimo illo rei publicae

1) Dio. LXVII, 15. 2) Aliter rem narrant Philostr. vit. Apoll. VII, 8 et Suidas in Domitiano.
3) Galba 16. 4) Ahasveri dissert. de Nervae institut. et const. p. 5. Brem. 1752.

statu eiusmodi promissum ad sedandos anxios hominum animos maxime idoneum visum esse. Senatorum enim iura per breve tempus restituta a Vespasiano eiusque successore Tito, qui sacramento pollicitus erat, neminem senatorum, qui liberius in curia dixisset, poena affectum iri, tunc omnino erant deleta; nam ab imperatoribus electi et e curia repudiati senatores ita omni potestate privati erant, ut imperatorum iussa sine mora confirmarent, verbis vero, vultu, vel scriptis si quis adversaretur voluntati principis, audaciam morte lueret. Quam ob rem illa senatorum laetitia aliquantum turbata est, cum Arrius Antoninus Nervam miseraretur, quod imperium, molestissimum onus, suscepisset [1]). Neque Arrium fefellit opinio; nam milites praetoriani, inprimis illud questi, Domitianum populari sandapila per vespillones sepultum esse [2]), vehementissimis clamoribus postulabant, ut necis auctores sibi ad supplicium traderentur, praesertim cum metuerent, ne donis, quibus inhiabant, munificentissimis sub novo imperatore fraudarentur. Vix praetorianorum seditio sedata est, non extincta; nam proximo anno denuo rebellando Nervam ad Traiani adoptionem adegerunt.

CAPUT III.

Imperator Nerva, qui teste Dione DCCCXLIX die XVIII m. Sept. imperium adeptus est, postquam unum annum quattuor menses novem dies regnavit atque annos LXV menses X totidemque dies vixit, de vita decessit. Hinc efficitur, eum anno DCCCLI die XXVII m. Ian. diem supremum obiisse. Eundem diem obitus Aelius Spartianus in vita Hadriani c. IV indicat, qui tradit, Hadrianum nuntium de morte Traiani accepisse anno DCCCLXX, ante d. III Id. Augusti, i. e. die XI m. Augusti, et hunc eundem diem imperii sui natalem celebrari iussisse. Traiani vero vitam et imperium Dio usque ad nuntium illum Hadriano allatum extendit eumque XIX annos VI menses XV dies regnum obtinuisse refert. Quos si deduxeris, obitus Nervae diem XXVII m. Ian. recte colliges. Iam vero etiam tempus, quo Nerva praetorianorum tumultu perterritus Traianum, qui Germaniae tum fuit praefectus, adoptaverit, definiri potest. Neque enim ante diem XVIII m. Sept. Traianum adoptatum esse, inde concluditur, quod, cum adoptaretur, simul iam Caesar, iam imperator, iam Germanicus absens et ignarus factus est [3]). Quos honores, cum una

1) Vict. epit. c. 12, 3. 2) Sueton. Domitian. c. 17. 3) Paneg. c. 9.

et statim nanciscerétur nec Nerva ipse ante diem XVIII m. Sept. Germanicus appellaretur, Traianus antea ita appellari et adoptari vix potuisse videtur. Hic quaestio oritur, utrum ipso mense Sept. an Octobri exeunte vel Novembri ineunte adoptio facta sit. In quam rem prae caeteris laudandus est Plinius Panegyr. c. 92 triplici gaudio diem laetum esse praedicans, qui principem abstulerit pessimum, dederit optimum, meliorem optimo genuerit. Pessimus princeps est Domitianus, die XVIII m. Sept. a. d. XIV Cal. Oct. interfectus, quo ipso Nerva optimus princeps imperium adeptus, melior autem optimo Traianus natus est. Praeterea idem Plinius epist. X, 28 imperatori Traiano nuntiat, se post iter diuturnum demum a. d. XV Cal. Oct. i. e. die XVII m. Sept. Bithyniam intrasse, neque tamen, cum sibi contigerit, ut natalem principis in provincia celebraret, de mora quod queratur, habere. Duobus his locis voces genuit et natalem non de die adoptionis, sed de die natalicio dictas esse, non iniuria mihi contendere videor. Quanquam enim saepe et adoptionis et suscepti imperii dies dicitur natalis, Plinius tamen inter natalem et adoptionis diem perspicue distinxisse videtur, quod ex eius epistola lib. X, 60 concludi potest. Deinde fieri non potuit, ut Nerva, quae quidem erat consuetudo imperatorum, eum diem, quo ipse imperium adeptus est, adoptioni destinaret, cum subita eum seditione praetorianorum perterritum praeter exspectationem Traianum in filii et Caesaris locum adscivisse constet. E quibus efficitur, ut die XVIII m. Sept. Nerva adoptare non potuerit Traianum.

Quare equidem magis cum Reimaro[1]) consentio, qui vel in Octobrem exeuntem vel in Novembrem ineuntem diem adoptionis incidere autumat. Neque enim praetereundum est Victoris Epit. l. l. testimonium, qui Nervam post adoptionem Traiani tres menses cum eo vixisse memorat. Quod si hoc tempus trium mensium ita tenemus, ut unus vel plures dies addi vel demi queant, ad finem mens. Oct. vel ineuntem m. Novembrem deducimur[2]). Definito igitur die adoptionis ea, quae ad hanc ipsam pertinent, iam enarrabimus. Praetoriani, quos cum coniuratis de caede Domitiani conspiravisse monuimus, cum a Nerva licentiam libidinemque suam coerceri viderent, ex amicis ei inimicissimi facti ab eo efflagitaverunt, ut caedis auctores sibi ad supplicium traderentur. Quorum voluntati cum Nerva, etsi seditione militum maxime perturbatus erat, obsequi nollet, hi neglecto imperatore requisitos iugulaverunt atque Nervam compulerunt, ut militibus gratiam referret, quia nefandos homines peremissent. Tum vero Imperator, haud ignarus, militibus se propter senectutis infirmitatem contemptui esse, in Capitolium ascendit et ante pulvinar

1) Reimarus ad Dionem p. 770. 2) Voelkeri Dissert.: De imperatoris M. Ulpii Nervae Traiani vita. Elberf. 1859.

Iovis clara voce haec effatus est: „Quod bonum, felix faustumque sit et senatui populi Romani et populo Romano mihique ipsi, M. Ulpium Nervam Traianum adopto[1]." Simul laurcam e Pannonia, forte a quodam Traiani legato missam, in gremio Iovis deposuit. Eundem postea in senatu Caesarem renuntiavit; litteris autem ad eum datis addidit Homeri versum: *Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν*[2]). Neque vero Nerva adoptato Traiano imperio se abdicavisse putandus est. Dio quidem cum narrat, Traianum primum Caesarem, postea imperatorem esse appellatum, imperatoris nomine imperii consortem, non Augustum dicit[3]).

Traiani adoptionem Plinius velut divinum aliquod factum praedicavit[4]); Ausonius eam hoc epigrammate memoriae mandavit:

Proximus exstincto moderatur sceptra tyranno
Nerva senex, princeps nomine, mente parens.
Nulla viro suboles. Imitatur adoptio prolem,
Quam legisse iuvat, genuisse velit[5]).

CAPUT IV.

Quodsi tales tantummodo imperatores posterorum memoria ac veneratione digni essent, qui praefuissent reipublicae multos per annos atque gravibus bellis feliciter gestis insignem sibi laudem comparavissent, profecto non haberemus, cur Nervae nomen in diuturna gloria mansurum esse confideremus. Eum enim per annuum tempus et quod superest clavum reipublicae tenentem a bello prorsus abstinuisse, ad unum omnes scriptores produnt, praeterquam quod victoriae Suevicae mentio fit in inscriptione, in qua Q. Attius tribunus militum donatus dicitur AB . IMPERATORE . NERVA . CAESARE . AVG . GERM . BELLO . SVEBIC . CORONA . AVREA .[6]). Hoc vero Suebicum bellum, quum, si illam inscriptionem exceperis, a nemine scriptorum veterum memoretur, grave fuisse vix credideris. Nam verisimile est, Nervam, qui mitissimi erat ingenii senex, a cruento bello plane abhoruisse nec quidquam magis

1) Dio LXVIII. c. 3. 2) Il. rhaps. I. 42. 3) Pagi ad Baron. I. p. 759. 4) Plin. Paneg. c. 10 et epist. X, 1. 3) Caes. XIII. 6) Orelli-Henzen, n. 5439. Niebuhr Vorträge über römische Geschichte III. p. 216. Versus finem anni DCCCL Nerva ob hoc bellum cognomen Germanici accepit, quod colligitur e titulis apud Orell. 5438 et Eckhelium VI. p. 408, ubi tribunitia potestas II consulatus III una cum illo cognomine coniuncta inveniuntur.

curae habuisse, quam ut reipublicae vulneribus a Domitiano acceptis quam celerrime mederetur. Itaque civitatem culpa pessimorum principum concussam aequis legibus stabilire atque res olim dissociabiles, ut ait Tacitus, miscere studebat, principatum ac libertatem[1]). Ac primum quidem omnes laesae maiestatis reos absolvit, plurimos a Domitiano patria pulsos in urbem revocavit; singulos tantum a reditu prohibuit, velut Liciniano convicto adulterii cum virgine Vestali in Sicilia habitandi veniam dedit, Romam redeundi non dedit[2]). Nec solum exulibus in patriam revocatis bona, quibus erant privati, restituit, sed omnino omnibus, quibus Domitianus absque iusta causa bona ademerat, ea reddidit[3]). Crimina maiestatis sustulit, ut quae inde a Tiberii aetate in dies aucta gravissimae pestis instar cunctam rempublicam corripere coepissent. Qua in re celerrimo profecto auxilio opus erat, quia criminis loco tum putabantur liberius dicta, convivalium sermonum simplicitas, adeoque puerilia facta in ius vocabantur ita ut optimo iure Plinius exclamaret: „Dicavit coelo Tiberius Augustum, sed ut maiestatis crimen induceret[4]) utque in perniciem civium eum honorem verteret". Maiestatis crimina vocabantur, quae ullo pacto ad principem videbantur pertinere[5]); neque quisquam in iudicium super ulla re veniebat, quin maiestatis crimen, omnium accusationum complementum, adderetur[6]). Servos ac libertos, qui insidias dominis patronisque struxerant, omnes statim interfici iussit, tum in posterum eius generis homines crimina contra dominos deferre vetuit[7]). Liberando igitur dominos ab accusationibus domesticis de dominis pariter ac de servis meruit[8]). Delatores et calumniatores nulli rei magis inhiantes, quam ut incautos cives pluribus indiciis inligarent[9]), compescuit, nonnullos capitis damnando; qua de re quum tumultus oriretur, eos morte mulctari vetuit, vitans prudentissime ob rerum publicarum conditionem nimiam poenarum severitatem. Non igitur iusta mihi videtur recentioris scriptoris vituperatio, Nervam bonos quidem conservasse, malos non debita poena affecisse[10]). Cui rei princeps ille optimus aliud beneficium adiunxit, quod legem dedit, ne quis ritus Iudaici accusaretur, quam legem in christianos quoque cadere constat, quippe quum Romanos tum temporis prorsus fugerit, quantum Iudaeorum ritus a Christiana doctrina distaret. Ad eam rem spectat numus ille: FISCI. IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. S. C. cum palma in medio posita, qua Iudaeam provinciam indicari vetera monumenta docent[11]). Calumnia sublata est, non didrachmum abolitum, quod Iudaei solvere debebant aerario publico, neque amplius

1) Agricol. c. 3. 2) Plin. Epist. IV, 11. 3) Dio. LXVIII. c. 2. 4) Paneg. c. 11. 5) Dio. LVII. c. 19. 6) Tacit. Annal. III. c. 38. 7) Dio. LXVIII. 1. 8) Paneg. 42. — Martial. X. 34. 9) Tacit. Annal. II. 27 et I. 74. 10) Crevier hist. des emp. T. VII. p. 269. 11) Eckhel. VI. l. l. et Baron. Ann. eccl. I. p. 75.

inquirebatur in eos, qui de Iudaismo suspecti essent, vel dissimulata origine tributa genti imposita non pependissent.

Crimine igitur maiestatis sublato, servis ac libertis coercitis repressaque delatorum audacia multum operae contulit moderator ille rei publicae in augendam senatus dignitatem atque honorem, Vespasiani et Titi vestigia secutus; quin etiam absque senatorum ordinis auctoritate nunquam de gravioribus rebus diiudicabat[1]). Iusiurandum, quod senatoribus dedit, quam sancte servaverit, luculentissime patuit in Calpurnii Crassi coniuratione. Qui quum contra vitam imperatoris cum aliis rerum novarum cupidis coniurasset, tantum abfuit, ut quamvis culpam confessus esset, a Nerva supplicio afficeretur, ut cum uxore Tarentum removeretur[2]). Nequidquam senatores increpabant eius lenitatem, dictitantes, fore ut nimia clementia improborum hominum audacia superbiaque augeretur; severiores poenas in coniuratos statuere noluit. Qua in coniuratione compescenda virum strenuum ac fortem se praebuit. Coniuratos enim consilia sua detecta esse nescientes imperator in spectaculo iuxta se considere eosque gladios in manus traditos inspicere iussit satisne essent acuti, ut ostenderet, se paratum esse mori. Atque tali modo pace concordiaque firmata inter principem civitatis atque senatorium ordinem salus civium maximum incrementum cepit.

Nervae autem clementia ac mansuetudo tanta erat, ut a Iunio Maurico, viro nobilissimo, aperte vituperaretur. Nam quum imperator cum paucis familiaribus coenaret atque inter convivas etiam Veiento esset, qui crudelitate sua in omnium bonorum odia incurrerat idemque Domitiano adiutor fuerat ad iniurias, incidit sermo de caeco Catullo Messalino, cuius cum morte memoria turpissima non esset extincta. De cuius improbitate nequitiaque quum omnes super coenam loquerentur et imperator ex iis quaereret, quid putarent eum, si viveret, passurum esse, Mauricus: Nobiscum, inquit, coenaret[3]); qua voce mite Nervae ingenium praeclarissime describi nemo negaverit.

Morem optimorum principum secutus beneficia a caeteris imperatoribus in ipsorum amicos collata edicto confirmavit. Quoniam rerum publicarum mutatione facta iis, qui apud Domitianum gratia valuerant, verendum erat, ne sibi, quae antea acceperant beneficia, sub novo imperatore eriperentur, Nerva eiusmodi sollicitudines propulsaturus, se non solum neminem spoliaturum beneficiis, immo novis omnes affecturum esse declaravit. Civium egestatem quantum maxime potuit, sublevabat, partim agros iis dando, partim quibusdam viris senatorii ordinis eos emendi ac dividendi negotium demandando[4]); cui rei sexagies centena millia numorum desti-

1) Dio. LXVIII. c. 2. 2) Dio. ibid. c. 3. 3) Plin. ep. IV, 22. 4) Ibid. VII, 31.

navit[1]). Neque raro eo liberalitatis processit, ut pretiosissimas suppellectiles, gemmas praediaque cum privata tum publica venderet, pecuniam inde sibi comparaturus, qua inopiam civium levaret. Quam liberalitatem in publicis praediis vendendis quicumque reprehenderunt, eos secum haud reputasse puto, primum, quam maxima in eiusmodi praediis impensa sit facienda, deinde, quam raro ea, quamvis fructuosissima sint, ad veram, sive regis sive populi utilitatem administrentur. Utcunque de ea re iudicabis, abunde constat, Nervam qui sibi statuas aureas fieri vetuit, id maxime prohibere voluisse, ne novis tributis populus premeretur. De quo ita narrat Victor: „Quidquid antea poenae nomine tributis accesserat, indulsit, afflictas civitates relevavit; puellas puerosque natos parentibus egestosis sumptu publico per Italiae oppida ali iussit“[2]). Eius rei aeternum omnique laude praeclarius monumentum exstat numus cum epigrammate TVTELA ITALIAE; imperator enim Nerva sellae curuli insidens dextram extendit versus pullum puellamque, adstante iuxta muliere[3]). Similem erga plebem liberalitatem indicat alterius numi epigraphe PLEBI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO[4]). Atque aliud eius benignitatis testimonium est numus, cui in parte antica hoc inscriptum est: VEHICVLATIONE ITALIAE REMISSA; in parte postica duae mulae cernuntur pascentes pone vehiculum. Inusitato hoc vel potius novo in Latinorum lingua vocabulo significatur id, quod a scriptoribus res vehicularis vel cursus publicus dicebatur. Augustus enim, quo celerius provinciarum statum nosceret, per vias publicas vehicula instituerat, quibus ii quoque utebantur, qui ad principem proficiscebantur vel ad eum de provinciarum conditione nuntios perlaturi vel annua vectigalia portaturi. Quod officium in stabulis alendi vel equos vel mulos asinosve quum libidine licentiaque magistratuum molestius fieret, imperator in Italia, ut numus docet, vehiculationem, si non prorsus abolevit, at certe a privatis ad fiscum transtulit[5]). Sumtuum minuendorum causa Nerva crebris etiam sacrificiis et ludis Circensibus aliisque spectaculis finem vel modum imposuit; num gladiatoriis certaminibus civibus interdixerit, dubitaverim, praesertim quum Dio eum gladiatorum spectaculo pro consuetudine sua adfuisse memoriae prodat. Cui rei quum numus cum epigraphe: NEPTVNO CIRCENSIVM CONSTITVTORI[6]) repugnare videatur, haud inepte nobis coniicere videmur, populum aegre ferentem in ludis celebrandis sumptus circumcidi, ab imperatore maxime indulgenti precando tandem impetravisse, ut ludi Circenses antiquo ritu celebrarentur.

Iam vero duas hic leges commemorabo, quae, ut ait Ahasverus, quasi pudi-

1) Dio. LXVIII. c. 2. 2) Epit. c. XII, 4. 3) Eckhel. p. 408. 4) Eckhel. p. 406.
5) Spanhem. de pr. num. p. 800. 6) Eckhel. l. l.

citiae septa nobis sese offerunt. Cuius rei auctor ita loquitur: *ἐνομοθέτησε δὲ αλλα τε καὶ περὶ τοῦ μὴ εὐνουχίζεσθαί τινα, μήτε ἀδελφιδῆν γαμεῖν*[1]). Sub imperatoribus enim turpissima virilitatis adimendae consuetudo ita serpserat, ut sceleratissimus etiam Domitianus exsecari mares edicto vetaret[2]). Quo quum non magis quam prioribus legibus detestabile scelus exstirpatum esset, Nerva legem illam renovavit. De altera lege — *μήτε ἀδελφιδῆν γαμεῖν* — clarissimi iuris interpretes ita inter sese dissentiunt, ut alii *ἀδελφιδῆν* fratris pariter ac sororis filiam, alii fratris tantum filiam intelligendam esse censeant. Fratrum sororumque filias in matrimonium ducere quoniam omni iuri videbatur contrarium, usque ad Claudii tempora talia coniugia incesta fuerunt. „Sed Claudius senatum ingressus decretum postulat, quo iustae inter patruos fratrumque filias nuptiae etiam in posterum statuerentur; nec tamen repertus est, nisi unus talis matrimonii cupitor“[3]). Quam ob causam quum eiusmodi nuptiae perraro celebratae esse videantur neque ullum testimonium exstet, Romanos aut novum hunc morem induxisse aut filias sororum in matrimonium duci licitum existimavisse, iure contendimus, Nervam, cuius imperium probitate conspicuum erat[4]), fratris itidem et sororis filiam duci vetuisse. Accedit, quod vox *ἀδελφιδῆ* neptem ex sorore vel fratre significat neque quidquam causae est, cur aliter hanc vocem interpretemur[5]).

Restat, ut paucis verbis ea imperatoris instituta memorem, quibus et urbis splendori et valetudini civium bene prospexit. Ac primum quidem forum sub Domitiano inceptum Nerva perfecit ac suo de nomine Nervae forum appellavit, quod opus in annum DCCCL incidere, haud temere colligimus ex inscriptione, quae apud Gruterum legitur[6]) et in foro pervio inventa est[7]). Ad haec templum Dianae Pergeae ab eo restauratum esse duobus docemur numis, qui exstant apud Vaillantium[8]). Uterque numus exhibet Nervae caput laureatum in antica; in aversa vero parte alter Dianam venatricem cum arcu et cane pro pedibus, cum inscriptione COS.II.DESIGN. III.P.P., alter simulacrum Dianae Pergeae in templo duarum columnarum cum inscriptione DIANA PERG.S.S.COS.III. Iure Vaillantius hos numos arbitratur esse cusos vel ob templum Dianae Pergeae, a Perge nobilissima Pamphyliae urbe appellatae, restitutum vel ob asylum huic templo olim concessum a Nerva forte renovatum. Denique maximam quoque curam aquaeductibus[9]) viisque[10]) impendit.

Sed ne terminos, quibus libelli scholastici circumscripti sunt, transeam, quae praeparata habeo de imperatoris Nervae studiis poeticis atque de consulibus suffectis a. DCCCL, in aliam scribendi opportunitatem mihi differenda sunt. Superest solum,

1) Dio l. l. c. 2. 2) Suet. Domit. c. 7. 3) Tacit. Annal. XII c. 5. 6. 7. 4) Martial. XI. 7. 5) Henr. Steph. thes. gr. l. T. I. p. 490. 6) Gruter. CLXXXV. 4. 7) Ahasver. l. l. p. 42. 8) Numism. T. I. p. 118. 9) Graev. thes. T. IV. p. 1655. 10) Orelli-Henzen n. 780.

ut pauca dicam de eius obitu. Qui cum aetatem agens annorum fere LXVI die XXVII m. Ianuarii, ut iam supra monuimus, de vita decessisset [1]), tantum ei funeris honorem tribuerunt Romani, ut humeris senatorum elatum in sepulcro Augusti sepeliretur [2]), ac talem sibi civium amorem conciliaverat, ut omnes boni universo fere orbe terrarum eius mortem lugerent. Cuius imperatoris tam multas tamque praeclaras virtutes haud immerito tanta gloria secuta est, ut aeterna eius memoria nulla unquam oblivione deleri queat.

1) Dio LXVIII, 4. 2) Vict. Epit. 1. 1.